

Q. D. B. V.

Clementiæ ac Pietatis plenissimos

INTUITUS,

quibus

GLORIOSISSIMOS

WITIKINDI
POSTEROS,

tum Lusatia tum Zittavia sensit
suæ felicitati præsentissimos,
antequam, DEO sic feliciter gubernante

POTENTISSIMIS

SAXONIÆ ELECTO-
RIBUS,

universim transcriberetur.

d. 7. Octobr. M DC XCIV.

in anniversariâ Gymnasii Zittaviensis Gratulatione

ad

NOVUM CONSULEM,

sub moderamine

CHRISTIANI WEISII, RECTORIS,

gratulabundis oratiunculis prosequuntur.

Christian Friedrich Neumann / Zitta-Lufatus.

Gabriel Hanitsch / Glashütta-Misnicus.

Johann Christoph Schwedler / Gryphiberga-Silesius.

Ernst Christian Schröter / Witteberga-Saxo.

David Zöllner / Zitta-Lufatus.


Johann Samuel Hänßschel / Scandavia-Misnicus.

Johann Abraham Seiler / Bernavia-Marchicus.

Johann Christian Junge / Zitta-Lufatus.

ZITTAVIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni.



Im anniversarium gratulandi debitum nos habet sollicitos, quo potissimum argumento, vel animi pietatem declarare, vel, quod in hoc negotio palmarium est, auditorii gratiam & benevolentiam captare liceat: non immerito nostris occurrit oculis PRIMUM, quod vocant, Gymnasii AUDITORIUM, hoc quidem anno sic immutatum & renovatum, ut non modo commodiorem lucis & caloris usuram promittat, sed etiam candore suo candidos ubiq; studiorum & votorum successus demonstrare videatur. Cum vero genuinam candidi splendoris causam, cujus varia passim spectacula per optimam nostram civitatem extant, libentissime referamus pacificis temporibus, quæ dimidium hoc seculum vario nomine reddiderunt felicissimum; ac hujus quidem PACIS, præcipuum arbitrium, si à DEO recefferimus, penes POTENTISSIMOS ELECTORES fuerit, quos omine fatis candido descendisse novimus, à Gloriosissimo veterum Germanorum Heroe WITIKINDO, seu ut nominis etymon se habet, ALBO FILIO: non est cur Auditorii nostri candorem gratulabundis oculis intueamur, quin ad EOS simul animorum & labiorum devotissimas oblationes dirigamus, quorum sive pacificum, sive tamen heroicum domiq; securum imperium, per has provincias tot enasci voluit ALBÆ, quos in proverbio dicimus, GALLINÆ FILIOS. Tantoq; magis probabitur votivum & acceptum hoc officium, quod paucis abhinc mensibus, ex hoc ipso Gymnasii loco declaratum est, quot candidis omnibus receptum fuerit Gloriosissimum FRIDERICI AUGUSTI Nomen: unde si pulchrum est, non discedere tum ab argumento his temporibus commodo, tum ab ipsa precum & acclamationum constantiâ; nos quidem in exsolvendis debitis futuri sumus & hilariores & securiores. Nam ne quem detineat ulterior præscriptio, respicere libitum est ad superiorum seculorum tempora, quibus tum Lusatia, tum præcipuè Zittavia nostra diversis quidem paruit Dominis, sic tamen, ut unum ac alterum BENIGNITATIS NUTUM accedere videret à PRINCIPIBUS è WITIKINDEA FAMILIA progressis. His equidem conatibus favebunt omnes, quorum interest, vel gaudere Saxoniam, vel gratulari Saxonum amicos, vel apud Zittavienses florere Consulem & Scholarcham. Inde non est cur prolixa defungamur tum commendandi, tum invitandi opera: siquidem alliciendis Patronis, Fautoribus, & Hospitibus sufficet universi specimi-

mi-

minis delineatio, quam ut singuli gratam & acceptam esse dignentur, qui non solum præsentis Rep. feliciorum exoptant successum, sed etiam in ipsis juvenibus futuram efflorescere gaudent Remp. & rogamus, & speramus & pollicemur.

Primam loquendi gratiam & libertatem occupabit

Neumannus

deprædicaturus ipsum WITIKINDUM, qui conversus ad religionem Christianam, his etiam terris aliquam hujus felicitatis lucem affudit, antequam innotesceret nomen Zittaviæ.

Sed Primum intuitum Zittaviæ destinatum laudabit

Hanitschius

nominaturus Manfredi Ringelheimensis è Witikindi profapia nati Conjugem ZITTAVIAM, s. ut nos jam loquimur, Zedenam vel Sidoniam, quæ primum hic monasterium ex testamento maritali fundavit, & in præcipuo templo, sepulchrum invenit: ut campus hic Zittaviæ dictus eo facilius nomen retineret, cum Ottocarus elapsis jam seculis duobus, condendæ civitatis consilium cepisset.

Alterum intuitum à Witikindeis acceptum referet

Schwedlerus

memor ALBERTUM Felicissimæ hujus Lineæ Fundatorem in matrimonio habuisse Georgii Bohemorum Regis Filiam Zedenam (quam perinde diceremus Zittaviam) unde post varia turbarum Hussiticarum pericula terris Lusaticis nova contigit quies, novum Bohemicae & Lusaticæ Gentis vinculum.

Tertium intuitum describet,

Schræterus

quem ipsa Patriæ mentio deducet ad tempora FRIDERICI SAPIENTIS, sub quo progressus Lutherus, ita radios dispersit, ut nostra hæc civitas jam anno 1521. primum Evangelicæ veritatis concionatorem audire potuerit.

Quartum Witikindeæ pietatis intuitum concelebrabit

Zöllnerus

venturus ad sapientissimum AUGUSTUM, cujus cum FERDINANDO Imp. Ejusq; Filio MAXIMILIANO II. constantissima conjunctio magnum securitati pondus attulit, quam Ecclesiæ per Bohemiam, Austriam, Silesiam nostramq; Lusatiam acceperant: quippe ne quis ignoraret cujus deprædicandum esset patrocinium, ea quidem lege data fuit Evangelicis libertas ut ad Ecclesiarum Saxonicarum normam sese quam fidelissimè componerent.

Qvin-

Quintum intuitum multis incolarum plausibus exceptum, tanto libentius sibi destinatum gaudebit

Hentzschelius

expositurus quantum hæc etiam Civitas debuerit CHRISTIANO II. postquam eo feliciter intercedente RUDOLPHUS Imp. Majestatis Literas, s. Pacem Bohemiæ Silesiæ & Lusatia Religiosam Augustissimâ Clementiâ indulgisset.

Sextum intuitum sibi reservatum intelliget

Seilerus

observaturus quibus consiliis & auxiliis Potentissimus JOHANNES GEORGIUS I. hanc præcipuè Lusatiam sustinere fuerit dignatus, ne sub communi eo Bohemorum incendio vel extrema pateretur: donec pleno ipsius dominio adscripta Felicissimorum simul annorum possessionem sibi viderit decerni.

Sed agmen claudet conversus ad Zittaviam, sub JOHANNIS GEORGII PROSAPIA porro fortunatam

Fungius

& hujus anni CONSULEM, faustis prosequetur acclamationibus, & futurorum quoque temporum omina jubebit esse divinis beneficiis, ab annorum hæctenus elapsorum fato non aliena vel diversa.

Suscipientur ea post horam octavam matutinam, sic tamen ut nimis ultra nonam nullius vel benignitate vel patientiâ simus abusuri.

Faxit Deus ut suis successibus efflorescant preces, nec unquam in Lusatia desint, qui pietatem hanc benemerendo provocent, qui applaudendo celebrent, qui loquendo & gratulando confirmant. Nos certè, quicquid vel benignitatis vel favoris & promptitudinis demonstratum fuerit, ne agnitum & deprædicatum fuisse dicatur, nunquam permittemus.

PP. è Gymnasio Zittaviensi, Prid. Non. Octobr.

M DC XCIV.

